



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, In Dominicas Anni Totius
Meditationes

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 9006643X

Feria II. Dominicæ Paschatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45459

circumdedisti me lætitiã, ut cantet tibi gloria mea, & non compungar amplius meâ tristitiã aut imperfectione atque peccato, sed tibi semper in novitate serviam Redemptori Domino Deo meo æternum.

Feria II. Dominicæ

Paschatis.

1. Loquebatur ad invicem de his.

A Udi querelas duorum istorum discipulorum, dolorem de Christi morte, insuper incredulam desperationem; & vide, quàm facile in peccata prouant homines, cùm à Dei præsidio discedentes, suæ nimirum industriæ sapientæque fidunt.

2. Dum fabularentur & secum quærerent.

A ttende quàm facile sit JESUM allicere. Loquere bona, loquere de JESU, & ipse JESUS appropinquans ibit tecum. O verè deliciæ tuæ JESU, esse cum filiis hominum, ad quos tam facile pellici te sinis. O me ingratum! qui tam facile medio tam raro utor, & cui dubium quod tuam præsentiam non amem? cui dubium quod per me solum stat quominus te mecum habeam? sanè ibi homines cupidissimè agunt, ubi suas delicias habent, illucque facillimè trahuntur, ubi sciant esse quod amant. Quia ergo tu propter sermones nostros de te habitos, ad nos accurris, certum est tuas inter nos delicias esse. O anima mea si JESUM amas, hoc illi amoris argumentum exhibe; ama sermones pios, de illo loquere, & ipse appropinquabit tibi!

3. O stulti & tardi corde.

Christus errantes & desperantes discipulos erroris admonet, magnamque hinc capit voluptatem, ut te suo exemplo doceat, nulli parcendum industriæ laborique, quoties proximi tui egent ab errore, tuâ operâ, liberari, ad virtutem, excitari; cum nullum aut tibi utilius opus, aut Deo gratius præstare possis, quam educere pretiosum à vili, animam è peccato. Totis ergo viribus in eam curam incumbe, & jam nunc totum te Deo commenda.

4. Qui fuit vir Propheta.

Vide quibus titulis ornent Jesum hi discipuli. Fuit vir Propheta, Potens in opere & sermone coram Deo & omni populo. Quantum ergo potes elabora, ut in his Salvatori tuo quam simillimus efficiare.

5. Et aperti sunt oculi eorum.

Coactus Christus fuit ad manendum cum discipulis invitatus hospitio. Vide jam quomodo liberalem compenset animum; redituum se illis clarè ostendit, eorumque animos donis ornat. Esto securus ô homo; si quid Dei causâ facis, non vincendum abs te Deum. Qui credit Deo, faneratur; cum fanore enim debitum recipit. O liberalitas cum Deo! Utinam aliquando tui amor, studium, exercitiumque corda nostra occupet! Quis nolit aureum credere, ut centum aureos recipiat? sanè aut Deus mihi mendax est, aut parum promissis ejus fido, si parcus sum in Deum, si non sum in Deum dives.

Feria

g: Druiz =
Bicki
opert ascel
Tomus III
N: V
58